

COLLOQVIA PERSONARVM



COLLOQVIVM SEXTVM

Persōnae: Mēdus, Iūlius, Dāvus, Syrus, Lēander, Ursus

Via Latīna est longa, sed Mēdus, quī viā Latīnā Tūsculō Rōmam ambulat, fessus nōn est, nam is ambulat ad Lȳdiam amīcam, quae Rōmae habitat. Lȳdia Mēdum amat et ab eō amātur.

Mēdus cantat: "*Nōn via longa est Rōmam...*"

Mēdus autem sōlus ambulat; itaque id quod cantat ā nullō audītur.



Via quae est inter Tūsculum et vīllam Iūlii nōn tam longa est quam via Latīna, sed servī quattuor quī Tūsculō ad vīllam ambulant fessī sunt, quia lectīcam et saccōs portant. Duo servī, Dāvus et Ursus, lectīcam cum dominō portant. Saccōs portant Syrus et Lēander.

Iūlius, quī lectīcā vehitur, servōs videt fessōs et imperat: "Pōnite lectīcam in viā, servī!"

Servī fessī lectīcam in viā pōnunt neque iam ambulant. Syrus et Lēander saccōs pōnunt.

Dāvus: "Phū! Via longa est ab oppidō ad vīllam!"

Syrus: "Nōn longa est via, sed saccī magnī sunt."

Lēander: "Tuus saccus est parvus. Ecce saccus meus magnus! Dāvus autem lectīcam cum dominō portat, nōn saccum."

Syrus: "Dāvus nōn sōlus, sed cum Ursō lectīcam portat."

COLLOQVIA PERSONARVM

Ursus: "Neque vacua est lectīca! Dominus nōn tam parvus est quam saccus tuus, Syre."

Iūlius, quī Dāvum fessum videt, imperat: "Iam saccum Syrī portā, Dāve! Urse, sūme saccum Lēandri! Agite, Syre et Lēander, lectīcam portāte!"

Servī pārent: Dāvus et Ursus saccōs sūmunt, lectīcam sūmunt Syrus et Lēander.

Iūlius imperat: "Ambulāte, servī!"

Iam rursus ambulant servī. Syrus et Lēander lectīcam cum dominō portant, et saccī portantur ab Ursō et Dāvō: Ursus saccum magnum portat, saccus parvus ā Dāvō portātur. Iam Dāvus nōn tam fessus est quam Syrus.

Syrus: "Phū! Via longa est ab oppidō ad vīllam!"

Dāvus ridet.

Ursus (ad Dāvum): "Cūr nōn ambulat dominus post lectīcam?"

Dāvus: "Dominus fessus vehitur, nōn ambulat, quia nōn est servus."

Ursus: "Et servī fessī ambulant, nōn vehuntur, quia dominī nōn sunt."

Lēander: "Num fessus est dominus, quī lectīcā vehitur?"

Dāvus: "Tacē, Lēander! Dominus tē audit."

Iūlius sterit: "Ssst–rrrch, ssst–rrrch...!"

Lēander: "Ecce dominus iam dormit, quia longā viā fessus est! Is mē nōn audit."

Verba servōrum ā Iūliō nōn audiuntur, nam dominus fessus iam dormit in lectīcā! Dominus quī dormit ā servīs nōn timētur.

Discipul_____ qu_____ id scribit est _____

Lingua Latīna - Capitulum Sextum

Colloquium

1. Quō it Mēdus?

2. Cūr Mēdus fessus nōn est?

3. Quis audit id quod Mēdus cantat?

4. Ubī est Iūlius?

5. Quid portat Dāvus?

6. Cūr nōn ambulat Iūlius?

7. Quis ā servīs vehitur?

8. Cūr Iūlius servōs nōn audit?

9. Cūr fessus est Iūlius?

10. Cūr servī dominum nōn iam timent?
